



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

XVI. Quod pro regimine scholarum nihil debet praestari.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

CAP. XV. *Idem Cestrensi episcopo.*

Infinuatum est auribus nostris, quod dum episcopatus tibi commissus vacaret, in ecclesiis eius plurimi sunt instituti, qui per simoniam dicuntur habere ingressum, & infamia respergi. Vnde quoniam indignum est, vt in tali crimine vel tam turpi suspicione remanerent, F. T. &c. quatenus si qui fuerint in prædictis ecclesiis, quos publicum sit & notorium simoniace intrasse, eos ab ecclesiis taliter acquisitis, appellatione cessante, amoueat: illis autem quorum crimen non est publicum & notorium, si publica laborant infamia, cum quinta manu vel sexta sui ordinis, infra quadraginta dies post harum susceptionem, purgationem indicas: in qua si defecerint, beneficiis ecclesiarum sibi commissarum perpetuo priues, prouisurus attentius, vt tales personas ad eorum purgationem recipias, de quibus verisimile sit, quod non debeant alicuius rei obtentu deierare.

Quæ personæ ad purgationem admittendæ.

CAP. XVI. *Idem.*

Dilectus filius noster magister R. præsentium lator, in nostra præsentia constitutus, constanti nobis assertionem proposuit, quod cum ipse Blesis sub magistro Hufdrico scholas regeret, & se crederet de clementia sedis apostolicæ ab huiusmodi precii exactione immunem, idem Hufdricus, nostra constitutione contempta, fideiussores, quos a præfato R. de precii solutione receperat, pro eodem precio spoliare præsumpsit. Quia igitur grauiter nimis excedit, qui apostolicis obuiat institutis, D. T. &c. quatenus vtraque parte coram te conuocata, veritatem diligenter inquiras: & si ita inueneris, memoratum Hufdricum moneas, & ecclesiastica districtione cogas, vt ea quæ de fideiussoribus ipsius R. abstulit, appellatione cessante, cum omni integritate restituat, eosque ab eadem fideiussione prorsus absoluat, ne de cetero ab ipso R. vel aliis pro præsumat: sed eum Blesis, quamdiu voluerit, scholas sine aliqua molestia vel exactione regere patiatur.

CAP.